



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam  
emissæ. In Deuteronomium**

**Bugenhagen, Johannes**

**Basileae**

**VD16 B 9247**

In Historias Sacras.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36133**

## IN HISTORIAS SACRAS.



**P**rimum, Miramur q̄ populū Hebræorum sæpe ad impietatem deficientē tamen seruauerit deus, id quod solet ne quid nostris iustitijs tribuamus. Oportuit esse aliquē populū testem uerbi dei, ad quem ipsum uerbum reuelaretur, Rom. 3. Credita, inquit, sunt illis oracula dei. Atq; hoc est cur oportuerit historias scribi sacras, & cur cum uno aliquo populo uoluerit deus sic agere, nempe ut uoluntatem suam palam faceret.

Secundū, Deus uoluit Christum promittere & reuelare. Huic omnes scripturæ testimonium perhibent etiā historie & facta quæ scribuntur, cui testimonium quoq; perhibet regnum corporale. Gen. 49. Non auferretur sceptrum &c. Quid quæso aliud uult illud regnum Dauidis quod promittitur fore æternū? vnde necesse fuit ex illo regno Christum expectari secundū carnem.

Tertium, Christum nosse non est tantū uenturum scire aut scire q̄ uenerit, sed scire quæ sit uoluntas dei per Christum q̄ saluare uelit. Ergo fides in historia & fidei opera spectanda sunt, q̄ deus fidentes seruat, incredulos damnat.

Quartū, Instituta erat lex, historie ergo scribuntur.



in quibus uideatur ut seruata sit lex, ut non seruata, in quibus exemplis etiam dum de sanctissimis uiris scribitur nihil aliud uidemus quam legis impossibilitatem, quemadmodum et Petrus in Actis Apostolicis confitetur, atque adeo certam nostrae condemnationem, si non aliud in nobis fuerit quam nostrae uires, nostrae iustitiae, nostrum arbitrium. Neesse ergo erat iustitiam expectare à coelis quae promittebatur in semine Abrahamae et regno Dauidis, quemadmodum Esaias dixit, Ut confirmet illud in iudicio et iustitia etc. Et in hoc quoque historiae scriptae sunt, ut uideamus exempla illorum quae promissionibus dei, quae sunt euangelium, crediderunt, et qui non crediderunt. Sicut enim uasa misericordiae ita et uasa irae ostendit nobis scriptura. Itaque quid lex, quid euangelium possit historiae per exempla declarant.

Quintum. Continent historiae et euangelij fructum crucem, ut cum Saul Dauidem persequitur et filius Absalom, Non enim non possunt odisse impij dei ueritatem, dum suam sequuntur uoluntatem et impia desideria.

Sextum. Hoc differunt humanae historiae à diuinis. Diuinae hypocrisim improbant et iustitiam ueram declarant, humanae non coarguunt hypocrisim et ueram iustitiam non indicant. Io. 16. Spiritus sanctus arguet mundum. Hypocrisis statim in principio regum uidetur in Phenenna cui comes est persecutio qua ipsa persequitur Annam.



Septimū. Incredulitas apparet in falso cultu dei & liberi arbitrij uirtutibus & consilijs humanis, sicut in Achis & Saule & in consilio faciendi regis & instituendae reipub. quae laudarentur ab homine.

Octauū. Discrimen regni corporalis, quod in externis tantū rebus est, & regni spiritualis quod in conscientijs hominum est, Illud deus administrauit per homines, hoc per Christum solū, & illud in hoc respiciebat & ad hoc seruabatur. Illud quā infeliciter saepe sine deo gubernatum sit, historiae testes sunt, ut uideas quā impia sint omnia in conscientiae regimine si nō illic dei uerbum regnet.

ARGUMENTVM HISTORIAE REGVM.

Post Israëlitici populi iudices quorum ultimus Sanson legitur, occasio regy nominis & regni in libri regū exordio statim describitur, nempe q̄ filij Eli sacerdotes impie agebant, nec minus impie post iudicabant populum filij Samuelis, Ad sacerdotes enim post iudices ex ea historia uidetur peruenisse iudicialia potestas, vnde coacti, tamen impie, petunt regem more gentium, Verum ne tam ardua res tentaretur in illo populo sine dei uerbo deus ipse iussit inungi Saulem, quo reprobato confirmatum est regnum Dauidi